



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna XXIX. Raptatio Domini per tribunalia improborum Judicum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

carcere, & liberâ custodiâ, rumpe hæc miserabilia vincula mea; libera spiritum meum, & illi pulchritudini divinæ, quam intueris, me alliga. Amen.

ÆRVMNA XXIX.

Raptatio Domini per Tribunalia improbrum
Judicum.

I.

Dominus noster, posteaquam in manus hominum venit, suæ Passionis certamina decurrere voluit per ea, quæ humanitus plurimum possent afferre dolorum & molestiæ: cujusmodi fuit, raptari per diversa tribunalia Judicum iniquissimorum, & simul inimicorum. Indignum certè fuit, supremum Judicem ac Dominum universorum judicari à malefactoribus, & vilibus subjici creaturis eum, quem ab homine quocunque sanctissimo & integerrimo judicari fuisset intolerabile, & mirabilis excessus amoris. Quantò igitur gravius fuit, ligatum trahi ab uno tribunali ad aliud, & ejusmodi judicum, qui nihil cum justitia erant acturi, sed omnia ex odio diro & capitali? nescio, quam rem cor humanum possit magis admirari, quàm cum videt personam divinam, etiam secundum carnem gravissimam & sanctissimam, post tot demonstrationes Majestatis suæ, coram quâ terra & mare tremebat, cujus imperio mors & sepulchra reddebant redivos, fugiebant dæmones è corporibus infessis, mare fremens componebat fluctus, lepra & alii morbi fontici deserebant infectos; terra, & infernus absque contradictione parebant; in quo omnia respectum, venerationem, obedientiam ac reverentiam provocabant, qui mirabili modestiâ, maturitate & gravitate micabat etiam inter vincula; eum, inquam, ligatis manibus, fune collo injecto, inter manus lictorum examinari à Judice tanquam maleficum, & ab uno trahi ad alios, aliosque semper peiores prioribus.

II. Obivit hæc tribunalia Dominus tantâ cum patientiâ, tranquillitate ac modestiâ, ut nullâ re turbari posset, vel contristari, neque vel minimùm sacratissimi sui vultûs gravitatem ac mode-

modestiam immutaret. Ita se submitit eorum iudicio ac sententia, an potius improbæ voluntati accusatorum ac Judicum, ut juxta prophetiam Isaia, propter summam humilitatem & abjectionem suæ personæ nulla ejus ratio videretur habenda in iudicio, nec justitia illi administranda, sicut etiam totus ordo Juris circa eum fuit perversus. *Vidimus eum, inquit, & non erat aspectus: despectum & novissimum virorum: & quasi absconditus vultus ejus, & despectus: unde nec reputavimus eum.* Certè nihil minus, quàm de justitiâ erga eum exercendâ cogitatum est ab illis; sed tantùm de modo, quo satisfacere possent odio suo & malignitati. Ita per omnia fuit ab his iudicibus injustè, contumeliôsè, contempnim tractatus & condemnatus.

*Et iniquis
iudicibus
subiicitur.*

*Psal. 109.
vers. 7.*

III. Ad quatuor iudices ductus est JESUS, ad Annam & Caipham Judæos, ad Pilatum & Herodem Gentiles. Dicunt aliqui, eum, dum ex horto duceretur in urbem, ita fuisse raptatum ac trusum, ut decideret in torrentem Cedron, qui transeundus erat: in quem sensum accommodant illa verba Psalmi, aliàs ex mente Prophetæ intelligenda de totius Passionis torrente, cum dicitur: *De torrente in viâ bibit: propterea exaltabit caput.* Quidquid sit, à malitiâ Judæorum alienum non fuit hoc genus injuriæ. Urbem ingressi nocte concubiâ, magno strepitu excitârunt homines, & insolentibus dictis omnes turbârunt, avidè præstolantes diem, ut exitum rei viderent, Quare albescente cælo tota civitas plena fuit hâc novitate, stupefcentibus multis, nonnullis varia super Christo iudicia formantibus, omnibus autem expectantibus finem tragediæ: non sine vilipensione & imminutione estimationis Domini. Sic perventum est ad Annam, voluntate Caiphæ, Socerum suum sic hõnorare volentis. Qui Christum interrogavit primùm de discipulis, non sine risu amaro, cur solum relinquunt, magnâ multitudine eum sequi soliti: nec sine dictis acerbis contra similes affectas: atqui mox mundum visurum, qualis Magister, & quales fuerint ejus discipuli. At innocens agnelus hac omnia tacitus remittebat Patri æterno, suo tempore manifestaturo veritatem.

IV, Incep-

IV. Interrogatus præterea insidiosè de doctrinâ, respondit; cur id à se quærat, cum palàm docuerit semper in templo, ac proinde illi, qui audierunt, potiùs interrogandi sint, utique veritatem dicturi. Est hæc securitas bonæ conscientie, quæ ut omnia dicit ac facit sincerè, simpliciter, ac bene, ita non habet quod timeat, vel loquatur multum pro sui defensione: quia ejus actiones, & veritas rerum stant & loquuntur pro ipsâ. Et plerumque illi, qui multis verbis, magnòque conatu se defendunt apud homines, coram DEO non inveniuntur tam justî, quàm ipsi se faciunt; & actiones eorum tam sunt vitiosæ, ut non audeant fidere, tales apparituras, quales optarent. Sed DEUS, qui justus est, permittit, ut, quia bonæ actiones, sancta intentio, ac desiderium placendi suæ majestati, solæ justificant hominem; ubi hæc desunt omnino, vel ex parte, parùm roboris habeant verba, quæ homines in sui defensionem copiosè profundunt: & plerumque ubi multa ad se excusandos attulerint, quisque de illis judicat, prout ipsi videtur. Tutiùs est ergo fidere DEO, & justificari ab illo. Porro unus è militibus, qui adstabant, cognatus Malchi, cujus auriculam sanaverat JESUS, audito ejus responso, infregit ei alapam dicendo: *Sic respondes Pontifici?* At ille nihil commotus, pari gravitate & constantiâ dixit homini: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cedis?* Talis erat Judex, talis justitia in hoc tribunali, ut neque veritatem dicere sineretur Dominus, & in præsentia judicis auderet lixa eum percutere, judice non reprehendente factum, sed potiùs approbante rem, quæ nec apud Barbaros toleraretur. Atque in hunc modum omnis ordo justitiæ contra Dominum cœpit perverti.

V. Missus est ab Anna JESUS ad Caipham, ejus generum, ubi congregati erant Principes Judæorum, Pharisei, ac Sacerdotes. Et, ut à primo judice exivit cum injuria colaphi, ita secundum oneratus est falsis testimoniis, ac demum pro blasphemo & reo mortis, inclusus carceri: donec summo manè ad Præsidentem Pilatum, & ab hoc mox ad Herodem est ductus; apud quem pro stulto habitus & tractatus, ad Pilatum reversus est: ab isto contra jus fâsque dirè cæsus flagellis, spinis coronatus, & ad crucem condemnatus, eique inter duos latrones affixus. Quis inter hæc modus

us aut numerus injuriarum & injustitiarum? At JESUS omnes obivit silentio, non nisi pauca verba, & illa quidem non pro sui defensione, locutus. Sinebat unumquemque dicere, accusare, condemnare, sicut volebat; nihil respondendo pro se ipso, (sed neque erat, qui staret pro ipso) usque ad honoris & vitæ jacturam.

Amor patriendi dolores auget.
 VI. Intervenerunt his nonnulla, quibus haud parùm aucta est hæc ærumna, videlicet injuriæ, quas non sine gravi sensu videlicet inferri Patri æterno: sicut etiam duritiam & malitiam adversariorum suorum; quorum flagitia tantò magis ei doluerunt, quanto amabat eos impensius: nam quæ faciebant contra ipsum, aspiciebat, ut mala illorum propria; quæque illorum salutis causâ perpetiebatur, noverat propter suam malitiam cessura eis in damnationem. Accessit, quòd sciret se, velut Judicem supremum, coactum iri quondam, contra suos Judices iniquos duram ferre sententiam, cum nihil magis cuperet, quàm sua ipsos morte absolvere; illi autem clauderent oculos, & obturarent aures veritati à se traditæ, ita ut ipse accusator, testis, & judex eorum futurus sit. Qui cognovit cor Domini JESU, & perfectionem ejus amoris, intelliget, quantò facilius ei fuerit hæc sufferre ad lucrandas animas eorum, quàm obligare justitiam suam ad eos damnandos propter mala, quæ faciebant, neque erant retractaturi per penitentiam; quod eis remedium esse debebat vitæ æternæ.

Veritas mendacium refutat.
 VII. Reportavit præterea Dominus ex his tribunalibus insignem victoriam traditæ à se veritatis & doctrinæ cælestis, etiam si tunc malè acceptæ & intellectæ, postea tamen toto mundo explicatæ & agnitæ. Nam cum apud hos judices ostium pateret omni mendacio, calumniæ, falsis testimoniis & malitiæ, dolis & fraudibus, quibus macularent ejus sanctissimam vitam; hæc omnia cesserunt in exaltationem & æstimationem ejus verborum & operum; dum nullâ arte, quantumvis malâ potuerunt invenire quidquam, quod ei cum veritate objicerent vel exprobrarent. Mordebat seipsam rabiosa malitia, invidia totum venenum suum effundebat, odium lethale exsaturabat se alapis, clamoribus & vocibus insanis furebat mundus: è contrâ taciturnus & mansuetus agnellus nihil querebatur: sed ipsa malitia pro testimonio erat

erat purissimæ innocentiae. Sic prodiit Veritas illo tacente, & malitia nugatrix ac perfida stabat confusa. quia tenebris contra lucem nihil est juris, nec malignitati contra perfectam sanctitatem, neque mendacior contra Veritatem æternam, Sed potius lux magis splendescit in tenebris; ac licet non intelligatur, non tamen minus est pulchra & victoriosa. Etsi verò fuerit indignum, trahi Christum ad hæc tribunalia; voluit ea tamen obire, & rigidè judicari, ut omnibus constaret, nihil in eo reperiri, quod purum sanctum & perfectam non esset, & per ipsos hostes ejus confirmaremur in veritate.

VIII. Graviter hinc Dominus illos redarguit, qui vel propter dignitatem suæ personæ, vel ex præsumptione de seipsis, vel ex vano respectu, fugiunt judicari res suas ab aliis se inferioribus. De talibus dicitur: *Qui male agit, odit lucem; & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* Sanè, qui non vult judicari à minoribus, inuit se magis in dignitate personæ, quàm in operum suorum veritate confidere. Si non es justus, agnosce, nec finge te alium; quia justum judicem habes, qui jam videt, quàm non meritò habearis pro bono. Si iustus es, ne subterfugias judicem: et si habeas culpabilis, noli, ut ætas aut vanitas te excuset: quòd si non vereris, quid perdis dando locum manifestandæ veritatis? si verò judices habeas tam iniquos, ut non immeritò timeas malitiam eorum, tum non exiguum lucrum reportas patienter injuriam tolerando cum Christo. Possumus autem securè confidere, si Christo nos committamus, facturum ut appareat veritas modo, quo minime cogitatur. Si tamen permittat procedere malitiam Judicis, signum est, eum sibi reservare vindictam, eo fine, ut multa bona tibi largiatur, si patienter injuriam tuleris; & honorem tibi restituat olim coram cælo, terra, & inferno in publica & generali audientia, in vicem injustæ condemnationis coram non multis.

IX. Aliud documentum altissimum Dominus dedit admirabili suo silentio, ab omnibus adorato, sed à paucis intellecto, minus etiam imitatione expresso: ut quis Deo fidat in omnibus rebus, quas solo silentio superare velit ejus amore. Qui pacem quæret sui cordis, & odium internum sui ipsius, puramque amo-

Malitia innocentiæ
testatur.

Humilitas
infringit
superbiam.
Io. cap 3.
vers. 20.

Silentium
hostes triumphat.

rem DEI, cui soli desideret perfectè placere, eum imitando, hic intelliget, quàm malè impendantur horæ, quibus curat suum honorem; & quantum boni sit in sui confusione; quantum lucri in perdendo apud homines, ac damni in lucrando apud eosdem. Scio, lege DEI nos ad hoc non obligari; scio tamen etiam, si quis perfectè ac simplici animo imitetur Christum, nihil damni adire. Dicit Isaias, illi propter suam magnam humilitatem non esse administratam justitiam: *In humilitate iudicium ejus sublatum est.* & addit; *Generationem ejus quis enarrabit?* Si ergo silentio suo tot Sanctos, tot Religiones, tot bona cælestia progeneravit Christus; an ejus amore tacere, ejus imitandi studio, fructu carebit? ô si DEUS omnibus aperiret hanc veritatem! ô si daret cognoscere pacem, gustum, quietem, ac divitas animæ, hanc viam perfectæ mortificationis ingressæ? certò viderent paradisum in terra. Sed qui hucusque non pervenit, cui tacere videtur nimis grave, saltem sit cautus & tranquillus in loquendo, plûsque confidat in DEO, quàm in sua justitia, ut habeat DEUM pro se.

*Isa. c. 53.
vers. 8.*

EXERCITIUM

Circa diversos Judices Christi.

I.

O Mi bone JESU! éstne hîc locus tuus? non ampliùs adis loca diversa, ut ibi edas consueta miracula, & doceas veritatem cælestem; neque vadis ab uno templo ad aliud, ut ibi adoreris & colaris pro eo, qui es? quin potiùs ab uno corde concedis in aliud, ut ameris ibi charitate sincerâ, desidereris, agnoscaris, quàm ut obeas hæc impia tribunalia? Mi Domine! cælum & terra te laudet, omnis creatura te adoret, omne corte amet, qui te sic demittis pro me: cùmque ego sim reus, tu accusaris, judicaris, damnaris. Adoro istos excessus amoris tui erga me, mi optime JESU! quòd me reservaveris tuo solius iudicio, ipse verò subeas iniqua iudicia mundi. Adoro te, Bonum animæ meæ, quòd pati volueris, quæ debueram ego. Nullus injustus iudex me tam malè condemnare potest, quin pejora meruerim: & nullus erga te potest esse tam benignus, ut satis agnoscat, quantâ veneratione, obsequio, amore

*Demerita
nostra satis
castigari
nequeunt.*

amōre sis dignus. At quia mea res bono loco esse nōn potuit, nisi judicaretur cum misericordia, voluisti tu, o bonitas divina, esse meus iudex, & onerare tuam innocentiam meā malitiā & sententiā, quam ego promerui.

II. Quantō melius ego comparerem in ædibus horum ^{Pro quibus} iudicum, DEUS animæ meæ, quàm tu? quia cum tota sua malitia ^{Christus in} nihil inveniunt, quod reprehendant in tua sanctitate: sed in me ^{persona no-} haberent, in quo iustissimè effunderent omnem furiam suæ ma- ^{stratice-} litie: in me inveniunt, quod quærunt in te: in me sine scelere ^{do} exequerentur, quidquid immeritò exercent in te: mihi possent eruere oculos, quibus multa malè aspexi: possent amputare linguam, quā plurima sum malè locutus: secare in frustra corpus onustum peccatis: evellere cor, quo te non amavi: condemnare opera, & mores legi tuæ contrarios: adimere vitam, quam non impendi in tuis obsequiis, ut optimè nōsti, DEUS ac Dominus meus. Si quærebant hominem, qui omnia bona corrumpit, me inveniissent: Si malefactorem iustè tollendum è medio, venissent ad me. Sed tu, misericordia infinita, qui verè me amas, ac meam salutem desideras, dissimulas mecum, & iudicio tuo paterno reservas: & exponis te, DEUS animæ meæ, odio impiorum iudicum, hostium tuorum, ut iniquè te condemnent pro tali, qualis ego revera sum. Quid dicam, o mi supreme & iustissime Iudex! de ista commutatione tam pia, tam plena misericordiæ? huic me offero, & remitto, quidquid invenitur in me: & quia bene scis, pro quo hoc facias; ne permittas, Domine, ut in me tanta misericordia frustra sit. Duc meum cor tecum per horum iudicum domos; illumina illud veritate, quam istic doces; inflamma me amore tuī, ut te ibi adorem, & amem inter tot blasphemias, quas ibi pro me sustines.

III. O Iudices iniqui & inhumani! si novissetis, quem ^{à iudicibus} habeatis captivum, quomodo mutaretis cum eo vestrum officium, ^{non est a-} & ad pedes ejus prostrati imploraretis misericordiam? Sed, o ^{gnatus,} Domine & amor animæ meæ! pro te solo jacet Iustitia, pervertuntur leges & jura, in oblivione est virtus. Doce me, Domine, divinam hanc sapientiam, ut vincam tacendo, triumphem patiēdo,

*Quos Chri-
stiani mali-
tiam superat,*

tiendò, justifier, quando judicor injustè. Sed ò DEUS, ego sum talis, ut omnia, quæ te video pati, me condemnent. Ego sum peior istis judicibus; quia illi te non noverunt, nec adorant: ego te adoro, & cognosco, & fide teneo tuam doctrinam, laudo actiones tuas; & tamen quando prodit amor proprius, & contradicit suæ voluntati & sanctissimæ legi, ego te traho ad tot ac tam improbos Judices, quot sunt mali appetitus mei. Quoties, ò divina Majestas! te non respicio, cum sciam te esse intra me, & inspirare mihi veritates tuas! ego tibi alapas dedi, ego te jussi tacere, ut locum haberent meæ malæ cupiditates. Quoties, velut alter Anas calumniatus fui tuam doctrinam, ut meam doctrinam justificarem! quoties pro stultitiâ habui, quæ tu docuisti de contemptu mundi, quæque credo & veneror; sed perverso judicio inhonoravi te, vanitatem cordis mei secutus! Misericordia, Domine, misericordia! cum ego revera sim talis, tu taces, & ego me justifico: tu traheris in manus inimicorum, & ego queror. Tu moreris, & amas infinito amore illos ipsos, qui tibi negant justitiam; & apud me totâ vitâ meâ durant querelæ, dolor & odia: tu sinis te judicari ab omnibus, & ego à nemine judicari volo. O bonitas infinita, quandonam hæc mutabuntur? quando, ò sponse vitæ meæ! te semper habebō ob oculos, ut imiter te in omnibus; quando magis curabo fieri tibi similis, quàm placere hominibus?

*Omnia
creatura
vindictam
incurrunt.*

IV. O DEUS meus, Salvator meus, & sapientissimus Magister meus. desinat ab hæc hora mea præsumptio, Confiteor malitiam & superbiam meam: desidero te imitari cum gratia tua, tacendo & sufferendo omnia sine discrimine. A modo & in posterum, Domine mi, ab hæc horâ in perpetuum do licentiam omni creaturæ, ut mihi prævaleant, contra me insurgant & à me pœnas exigant injuriarum, quibus affeci te. Bene scio, DEUS meus, nisi tu continuisses creaturas tuas, pridem insurrecturas fuisset contra me, tanquam contra ingratum hostem tuum. Quia verò me defendis, nolî amplius me relinquere, ut tam diu maneam perversus: sed incipe statim, Bonum animæ meæ! me convertere: transforma me in te, ò summa perfectio! da mihi perfectum amorem eorum, qui malè me tractant, malè mihi loquun-

me, malè me judicant: quia in hoc est vera sapientia, quam tu me doces. Mirabatur Propheta tuus Isaias, videns in spiritu fructum, quem recepisti è multis animabus, adjutis per humilitatem, quâ te subjecisti malis iudicibus. Et ego, Domine, quid magni prestabo, si amore tui, Deus meus, fecero peccator, quod tu fecisti pro me, ut colligeres aliquem fructum amoris, legis & sapientia divina, ac vitæ aternæ, quam mihi promeruisti? ô mi Domine, ego sum, qui sum; & tu es, qui es. Hoc igitur erit operæ tuæ, ut quod ego propono, tu efficias gratiâ tuâ. Fac in me, Domine, quod desideras: infunde mihi, quod à me petis; ut, quando me quaeris, invenias omnia ad votum tuum.

V. O bone JESU! qui se videret vinctum pro te, abjectum atque despectum à mundo, inhonoratum ab hominibus, malè judicatum ab omnibus; simul tamen exemplo tuo quietum, gratiâ tuâ tacitum, patientem, bene contentum, puroque amore te complectentem, ô quàm ille dives! quàm sapiens foret! quàm letus! Quando interiora mea tibi dicent ex corde: DEUS MEUS, perfectum bonum meum, abundantia mea plena, & satietas mea sufficiens! ita mi bone JESU! veni in cor istud: veni ad hunc miserum peccatorem, qui desiderat te semper secum manere? Dimitte modò, Domine, has domos iniquorum Judicum; & si apud malos libenter es, ego pejor sum illis: si te delectat humiliari, satis apud me humiliationis invenies: si libenter moraris, ubi convertere possis aliquam animam, in me habes multa, quæ vertas: si expectas, ut mihi possis conferre aliqua dona gratiæ, veni, veni ad me Domine, & hoc sufficiet mihi. Ingredere, ô lux & anima mea! in cor meum. Hic te cognoscam, hic te adorabo, te amabo, complectar, & apprehendam; neque dicam cum Jacob: *Non te dimittam, nisi benedixeris mihi.* Sed cum sponsâ tuâ: *Tenebo te, neque dimittam.* O quando venies, Domine? quando videbo te, lux oculorum meorum! amor meus, ac dulcedo mea? si fructus sententiæ injustè contra te latæ, & à te summâ humilitate ac silentio exceptæ, est, ut sicut Isaias dicebat, hâc viâ invenires multas oves perditas, multas animas errantes, quas reduceres in viam bonam; multos filios, qui te amarent; multos cæcos, qui te cognoscerent;

Summa felicitas amore IESU contemni.

Gen. 32. 26.

Carth. 3. 4.

Isa. 53. 11.

rent; multos deceptos, qui te desiderarent ac possiderent; ego sum, Domine, magis perdita ovis, quam ulla alia. Reperi me, Domine & Salvator meus! reduc me in viam bonam, Redemptor meus! pone me juxta te, ô bone Pastor! Ego te adoro, te cognosco, ac desidero amare te toto corde. Purifica me, expoli me, & fac me, qualem me esse desideras.

*Extra Dei
omnia no-
cent.*

VI. O quanto melius mihi est in manibus tuis, quam tibi in manibus inimicorum tuorum! quia tu videns te coram illis ligatum, nullum verbum dixisti, sed illis permisisti te totum, quasi ab eis dependeret salus tua, cum ipsi facerent omnia contra jus fasque. Ego si me permittam tuis manibus, mi sincere Judex & Amice! possum loqui, clamare, à te audiri & consequi misericordiam. In his manibus melior fit causa mea; in his invenio justitiam, quâ careo; & nescio, quid me excæcet, ut te fugiam, & quæram potius judicium mundi. Omnes quærent mihi facere malè; solus tu, Pater meus, æternus & amabilis Judex, quæris meum bonum, & suppeditas quidquid mihi deest, ut merear bonam sententiam; & ego te defero. O qui te nunquam fugisset, nunquam deseruisset hunc Patrem piissimum! nunc redeo Domine: nunc subjicio me tibi: nunc me trado in manus tuas. Recipe me in cor tuum, include me pectori tuo, uni me spiritui tuo, subijce me totum voluntati tuæ; ut vivam, non aberrem; ut me ipsum horream, te amem, te possideam, ô Deus meus, ô amor meus, ô benignissime Judex meus, ô Pastor meus, ô bone Jesu, & Salvator meus, semper, semper, semper!

O sacratissima DEI Mater & Virgo purissima! in cujus corde regnavit semper hic Dominus, & in eo solo perfectè quievit in hoc mundo: quia es Mater peccatorum, adjuva istum, qui coram te stat. Monstra tua materna viscera, & impetra mihi à Domino veritates, quas docet, ut semper totam vitam meam gubernent. O curia cælestis, quæ semper intueris magnitudinem hujus Domini, & secura es de fructibus ærumnarum illius: impetra mihi spiritum, quo jam vivitis, ut per humilitatem hujus Domini merear vestrum consortium

in æternum.

ÆRUMNA